



**THO** MISERATIONE DIVINA SANCTAE ROMANAEC ECCLESIAE TT. SANctæ Sabinæ Presbyter Cardinalis, Episcopus Augustanus & Apostolicæ sedis Legatus de Latere. Vniuersis & singulis, Abbatis, Praepositis, Decanis, Prioribus, Archidiaconis, Decanis ruralibus, Parochialiumq; Ecclesiarum Rectoribus, seu eorum Vicarijs, Monasteriorum ordinum quoruncunq; tam uirorum q; mulierum, Provincialibus, Ministris, Prioribus, Vicarijs, Guardianis, Abbatissis, Priorissis, Magistris, Matribus, necnon Fratribus S. Ioannis Hierosolymitañ. Beatae Mariæ Teuthonicorum, Sancti Spiritus & S. Antonij Commendatoribus, Præceptoribus exemptis & non exemptis, cæterisq; uerbi diuini Concionatoribus, & cunctis Christi fidelibus per Ciuitatem & Diœcesim nostras ubilibet constitutis, & uestrum cuilibet, Salutem in Domino, & Apostolicæ sedis gratiam humiliter amplecti. Noueritis, quod nuper Sanctiss. in Christo pater & dominus noster, Dominus IVLIVS diuina prouidentia Papa III. Bullam quandam plenarij Iubilei & amplissimarum facultatum Christifidelibus uniuersi orbis, Deum pro felici & prospero successu Generalis Concilij præsentí hoc anno in Ciuitate Tridentina reassumendi & prosequendi, preantibus concessarum, nobis intimari fecit, quam nos, qua decuit reuerentia, recepimus huiusmodi sub tenore.

## IVLIVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, AD FVTVRAM REI MEMORIAM.

Cum post longam sacri Oecumenici generalis Concilij suspensionem, tandem (inspirante Deo) annum ferè Christianorum Principum ac totius Christiani populi uotis precibusq; annuentes, Concilium ipsum, quacunq; disceptatione pro bono pacis & quietis seposita, ad Ciuitatem Tridenti reducendum, ac proximis Kalen. Maij, in eo in quo reperitur statu reassumendū & prosequendum statuerimus, sicuti nostræ dudum super hæc confectæ & publicatæ literæ testantur: Iamq; dies Kalendarum prædictarum appropinquet: ut Dominus ac Redemptor noster, fidelium suorum conuersione placatus, adsui diuini nominis gloriam, & orthodoxæ fidei ac religionis incrementum, & Ecclesiæ suo præioso sanguine fundatæ, unionem & pacem, prosperum & fœlicem ipsi Concilio successum elargiatur: omnes & singulos utriusq; sexus Christifideles, tam in alma Vrbe nostra, q; quibusq; Regnis, Dominijs, Provincijs, Ciuitatibus, Oppidis, Terris & Locis per uniuersum Orbem constitutis requirimus & hortamur in Domino, ut postquam hæ nostræ ad eorum notitiam peruerenter, ad Dominum nostrum Iesum Christum humili corde conuersi, conscientiam suam unusquisq; studiat diligenter examinatione discutere, & ad purissimam omnium peccatorum suorum confessionem separare, eamq; pura mente facere, ac quarta & sexta ferijs, necnon die Sabbati inde sequentibus iejunent, uel si extra ieunij tempus, ut de presenti sumus, constituti existant, orationibus & eleemosinariis erogationib; uacent, ac die Dominicæ, dictū diem Sabbati immediate sequenti, sacratissimam corporis Domini nostri Iesu Christi Eucharistiam reuerenter & deuotè percipiunt, Deum ex intimis cordibus precantes, ut calamitates Ecclesiæ suæ iam tandem miseratus, prædictam Ecclesiam ad unitatem & concordiam reducere, & præfato Concilio salubrem continuationem, directionem, & conclusionem præstare dignetur. Ut autem Sacramentum Eucharistie huiusmodi, tranquilliori conscientia recipere ualeant, nec ab hoc ex absolutionis difficultate retrahantur, & ut eorum oratio quanto puriore animo fiet, tanto ad impetrandam misericordiam & gratiam diuinæ bonitatis sit acceptior: Omnibus & singulis Christifidelibus supradictis, ut confessores sibi eligere ualeant presbyteros seculares, uel cuiusvis ordinis regulares, qui, confessionibus eorum diligenter auditis, eos & eorum quemlibet q; quibusq; eorum peccatis, criminibus & delictis quantumcumq; grauibus & enormibus, etiam Sedi Apostolicæ reseruatis, etiam in Bulla quæ in die cenæ Domini legi consuevit contentis, & à censuris propterea incursis, hac uice duntaxat absoluere, ac pro commissis sibi pœnitentiem salutarem iniungere, ac uota quæcunq; per eos emissa (castitatis & religionis uotis duntaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare ualeant, facultatem dicta auctoritate Apostolica impartimur. Et insuper omnibus & singulis Christifidelibus supradictis, qui præmissa impleuerint, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri & Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, plenissima in peccatorum suorum remissionem, & eam, quæ Christifidelibus Ecclesiæ Vrbis & extra eam ad id deputatas anno Iubilei uisitantibus concessa est, in Domino concedimus & elargimur. Ut autem præsentes literæ ad plurimum notitiam ualeant deuenire: omnes Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, & alios Ecclesiarum Prælatos in Dominio monemus, & requiri mus, eis nihilominus in uirtute sanctæ obedientiae iniungentes, ut quæ primum ipsæ literæ, siue earum transsumptum manu alicuius prælati siue personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ subscriptum ad eos peruerenter, literas seu transsumptum huiusmodi ubiq; per eorum Provincias diœceses & Ecclesiæ, sincera charitate, absq; ullo quæstu publicent, & publicari faciant. Constitutionibus & ordinationibus Apostolicis alijsq; contrarijs non obstantibus quibusq; Volumus autem præsentes literas postquam earum originale uel transsumptum publicatum fuerit, quoad loca, in quibus publicatio huiusmodi facta extiterit, post uiginti dies, ab ipsa publicatione computandos, nullius esse roboris uel momenti. Datum Romæ apud sanctum Petrum, Anno incarnationis Dominicæ Millesimo quingentesimo quinquagesimo primo, Sexto Kalen. Maij. Pœificatus nostri, Anno secundo. A lalata.

**NOS** IGTIVR OTHO Cardinalis & Episcopus supranominatus Sanctissimi Domini nostri monitioni, requisitioni & iniunctioni præmissis obedire uolentes, ac attendentes etiam indulgentiarum sanctissimum institutum à primitua usq; Ecclesia ad nos manasse, earumq; thesaurum atq; usum Catholicæ Ecclesiæ in consueta eius forma utilem ualde, adeoq; ad conseruandam pœnitentialis fori rationabilem æquitatem necessarium nonnunq; esse: Idcirco auctoritate ac iussu præfatis, uobis omnib; & singulis suprascribitis mādamus, Ut Apostolicarū literarū præsentes transsumptū quampridem ad uos, aut uestrum quemlibet peruererit, in Ecclesijs, Capitulis, Parochijs, Congregationibus & conuentibus uestris frequentioribus, sincera charitate & sine ullo quæstu publicetis, publicari atque in parochialibus alijsq; Ecclesijs publicè proponi & affigi faciatis, atque uniueros quorum animæ curæ uestræ commissæ sunt, piè, feruenterq; admoneatis, ut intra terminum uiginti dierum à die publicationis per uos facienda computandorum, quarta & sexta ferijs, necnon die Sabbati inde sequentibus quibusdam iejunent, uel orationibus & eleemosynis uacent, ac die dominica Sabbati diem immediate sequenti, sanctissimam corporis domini nostri Iesu Christi Eucharistiam deuotè percipiunt, & Deum ardenter orent, ut Concilio iam inchato & reassumpto salutarem processum, felicissimumq; finem præstare, ac Ecclesiæ in Germania potissimum durissime afflictæ, & uiuere, quæ oppida aut uici sunt, distractæ, tandem misereri, atq; pristinæ integrati, in ita, concordiæq; restituere, eiusq; tranquillita, doctrina, animisq; omnium in una fide consentientibus, conseruare dignetur, ut Christus Salvator noster patri omnipotenti regnum in uione constitutum, tandem restituere possit. In quorum omnium & singulorum fiem & testimoniu præmissorum, præsentes literas impressione fecimus communiri. Datae Dilingæ die xvij. Maij. Anno à nativitate Domini M. D. LI.

Cardinalis

Iam

Z

Episcopus ac Opus Seruopolitanum  
probauit, atq; Episcops ac subdi-  
cutori Walibaldus Franciscanus  
Abb., ac commissarius eiusdem  
in primis regi patrum

forma Absolucionis

Miserante mihi et domino nostro Iesu Christi te absolvere. Per eum  
auerata opus tuum ac Apostolica missa in hac parte remissa.  
absolu et ab omnibus penitentiis tuis, et a reuersis propter  
missis, confundendo tibi omni penitentiis penitentiam remissa.  
sicut in misericordia filii ac misericordia fratrum tuis.

